



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 177. Et tradiderunt Pilato. v. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

ducere ad appetitiones meas, ad desideria mea trahere absit à religiosis, & laicis, ab Ecclesiasticis ut non velint suos superiores quos sequi debebant ducitare, reformare, docere, & dicere. nimis hoc est turpe. Horret tacto & cogitatio.

§. 117. *Et tradiderunt Pilato. v. 1.*

Summi Sacerdotes, & Principes, & Seniores populi Iudæorum, & Ministri, & milites & Garnifices, scitis quid vos tradatis? & cui tradatis? Ille quem vos modo traditis est Messias, est Saluator vobis promissus, & tam diu expectatus, ex Patriarchis & Prophetis, & vos eum traditis. Scitis ne quid sit hoc tradere? est abdicare se non solum iure ad rem sed etiam iure in re seu possessione. Ergo Iesum non amplius vultis habere, vultis ut alij gentiles nempe eum habeant, vos carcat? Certè hoc re ipsa vultis; alioquin retineretis, & non traderetis. Plane vos omnes insånitis. Ecce effectus abdicati & disrupti hac nocte Sacerdotij vestri, pro custodibus facti estis traditores. Iudas apostata vos seduxit, iste traditor se vobis iungens fecit vos pariter traditores, modicum fermentum, ecce, quantam massam corruptit!

O Christiani, quando ad vos in posterum venit apostata cautè agite, nam Iudæi recipientes Apostatam discipulum Christi, & communicantes cum eo, ipsimet omnes facti sunt traditores. Et quia yarj sunt desertores seu apostatae apud Grammaticos, nempe à bono desciscientes itehta à malo: ut discrimen noscatis videte an à Christi disciplina desciverint. Disciplina Christi discipulorum est relinquere patrem matrem, uxorem, filios, agros propter nomen eius. si apostata ista quærit iam à Christi disciplina defecit. Ecce signum unde noscatis apostatam verum, & discernatis à nominali.

§. 178. *Et interrogavit eum Pilatus. v. 2.*

Marcus scriptor transliuit cæremonias Iudæorum & Pilati in congressu, item verba traditorum & Receptoris, contentus verbo, Tradiderunt, in quo omnia illa conclusit, & ad rem iuit, nempe Iudicium traditi Christi, quomodo hoc Pilatus exercuit, functus est officio boni Iudicis & discreti, non statim condemnando Christum ad accusationem & traditionem Principum Iudæorum, & Seniorum populi, ne inauditum reum & non confessatum male perderet, sed interrogavit eum, acute ipse Iudex ex quo posset eum breuiter deprehendere, & vel condemnare reum, vel immunem à crimine dimittere.

¶